



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

**Kinckius, Matthias**

**Coloniæ, 1662**

De defectu intentionis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

DE DEFECTU INTENTIONIS.

VII.

1. Si quis non intendit conficere, sed delusoriè aliquid agere. Item si aliqua Hostiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare, nisi quas videt. Item si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

2. Si Sacerdos putans se tenere unam Hostiam, post Consecrationem invenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si depre-



deprehendat, post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam aliquas reliquias consecratas, eas sumat, siue parvæ sint, siue magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.

3. Si verò relieta sit Hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter operam, sumendam unâ cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice seu Patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat, quomodo honestè conservetur, potest eam ipse mersumerè.

4. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, et si curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.